

**Adnexus decreto diei 30 martii 2020 (Prot. N. 156/20)**

**IN TEMPORE UNIVERSALIS CONTAGII**

Hæc Missa celebrari potest, iuxta rubricas Missarum et Orationum pro variis necessitatibus vel ad diversa, omnibus diebus, exceptis sollemnitatibus, dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, diebus infra octavam Paschæ, Commemoratione omnium fidelium defunctorum et feriis IV Cinerum et Hebdomadæ sanctæ.

**Ant. ad introitum**

Is 53, 4

Vere languóres nostros ipse tulit  
et dolóres nostros ipse portávit.

**Collecta**

Omnípotens sempitérne Deus,  
in omni perículo singuláre præsidium,  
qui filios tuos in tribulatióne fide supplicántes exáudis,  
nobis propitiáre benígnus, et præsta, quæsumus,  
defunctis réquiem æternam, solámen plorántibus,  
salútem infirmis, moriéntibus pacem,  
operántibus pro fratrum sanitáte robur,  
spíritum sapiéntiæ illis qui nos in potestáte moderántur,  
et ánimum ad omnes benévole accedéndi  
ut cuncti nomen sanctum tuum glorificáre valeámus.  
Per Dóminum.

**Super oblata**

Súscipe, Dómine, múnera quæ,  
in hodiérnis periculis, tibi offérimus,  
et fac, quæsumus, ut, omnipoténtia tua,  
in fontem sanitátis pacisque convertántur.  
Per Christum.

**Ant. ad communionem**

Mt 11, 28

Veníte ad me, omnes, qui laborátis et oneráti estis,  
et ego refíciam vos, dicit Dóminus.

**Post communionem**

Deus, a quo recépimus  
vitæ æternæ medicínam,  
concéde, quæsumus, ut, per hoc sacraméntum  
de cœlestis remédii plenitúdine gloriémur.  
Per Christum.

### Oratio super populum

Protéctor in te sperántium, Deus,  
bénedic pópulum tuum, salva, tére, dispóne,  
ut, a peccátis liber, ab hoste secúrus,  
in tuo semper amóre persevéreret.  
Per Christum.

## IN TEMPORE UNIVERSALIS CONTAGII

Assumi possunt lectiones Missæ In quacumque necessitate.

**LECTIO I** (*OLM* 938, n. 2)

**Lam 3, 17-26:** « *Bonum est praestolari cum silentio salutare Domini* ».

Repulsa est a pace anima mea...  
*Omissis litteris hebraicis Vau, etc.*

**PS. RESP.** (*OLM* 940, n. 1)

**Ps 79, 2ac et 3b. 5-7**

R/. (4b): Illustra faciem tuam, Domine, et salvi erimus.

*vel:*

**LECTIO I** (*OLM* 939, n. 2)

**Rom 8, 31b-39:** « *Neque mors neque vita poterit nos separare a caritate Dei* ».

Fratres: Si Deus pro nobis...

**PS. RESP.** (*OLM* 940, n. 3)

**Ps 122, 1-2a. 2bcd**

R/. (3a): Miserere nostri, Domine, miserere nostri.

*vel* (2cd): Oculi nostri ad Dominum, donec misereatur nostri.

**V/. ANTE EV.** (*OLM* 941, n. 2)

**VEL ALLELUIA**

**2 Cor 1, 3b-4a:** Benedictus Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulation nostra.

**EVANG.** (*OLM* 942, n. 2)

**Mc 4, 35-41:** « *Qui putas est iste, quia et ventus et mare oboediunt ei?* ».

In illa die, cum sero esset factum, ait Jesus discipulis suis: Transeamus...